

II.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 60.

*Secretum litterarum Commercium inter Vivos
et vita functos.*

Elysiun-Meum, Die Martis, 28. Aug. 1810. (Nov. 15. Aug. 1810.)

Ad Georgium Washington.

Ex mundo superiore.

Auctor Præsesque Republicæ Americae Borealis trans eliam Libitinam intimo animi solatio adficiatur oportet, dum gigantes progressus, diffidentemque ex America in Europam usque auctoritatem patriæ suæ comperit, atque de ea certior redditur. — En! isthoc est vir eximie! harum argumentum litterarum!

Quis Anno 1783, quo Independentia Americanorum Statuum agnita est, quis inquam, de eo cogitasset, novellum hunc Statum usque 1810 ad eam auctoritatem eluctaturum, quæ suam in summos Europæos Status politicoam & commercialem actionem vindicatura est? — Quamquam Americana respublica careat maritimis viribus, demus aliquot minoribus navibus, (Fregattis) nihilominus veteram maritimam, quam olim Hollandi curaverant, sui Juris fecit; quamquam numerus Incolarum in suo territorio

decuplo pene inoreverit, & in eadem ratione geographica extensione profecerit, per Luisianæ accessionem, nihilominus nullam vicinam Antillarum Insulam occupandi constum exeruit. — Bonum decretum mentis, melior adhuc decreti ipsa dispositio! — primum medio Commericii opes acquirendi consilium est, tum sequetur erectio maritimi exercitus, & cum eo sutopte ordine occupationum acquisitionumque Consecrarium.

Ast de quo sermo agitur? — Naves Americanæ Gallias & quosvis *neutrales* portus maritimos subeundi, merces adferendi & depoendi veniam habent. — Momentosum hoc nuncium continetur Monitore de 9 h. m. Litteræ Gallici extern. Negot. Ministri, ad legatum Reipubl. Americ. borealis Gen. *Armstrong* de dato 5. h. lætum hoc nuncium complectuntur, en argumentum earum! —

„Mi Domine! Proposui, substravique Sux Maj. Imperatori & Regi traditum mihi ab sua Domin. Congressus de Calendis Maji ex Novellis Statuum Foed. Decretum; Sux Majestatis votum fuisset: ut hoc & cetera Statuum Foed. Decreta, quæ Gallix interesse possent, sibi continuo ex officio communicata fuissent. Communi more ea mediate solum & evoluto longo temporis intervallo ad Ejusdem perveniunt aures; qua morositate grandia enascuntur Incommoda, locum nequaquam habitura, si id genus acta celeriter ex officio communicata fuissent.

Imperator interdictum Statuum Foederatorum, quo naves eorum adfœ, sententia sua probabat, quod hæc agendi ratio, si Galliæ pernicioſa etiam fuit, ſaltim nullam honoris ſui læſionem involverit. Gallia per eam Guadelupam, Martinicam, Cajennamque amiſit; de hac jactura Imperator queſtus haud eſt, tulit hanc victimam illi *principio*, quo Americani ad Interdictum ferendum agebantur, cum iis nobile conſilium dederit: maribus nuncium mittendi potius, quam ut legibus eorum, qui ea dominari volunt, obſequerentur.

Decreto de 1. Maji Interdictum abrogatum revocatumque eſt, ejuſque vice alia agendi ratio ſurrogata, quæ poſſimum Galliæ emolumentis pernicioſa fieri deberet. Decretum iſthoc, quod nonniſi ſero admodum ad aures Imperatoris pertigit, prohibet Americanas naves Commercio cum Gallia interea, quo iis cum Hispania, Neapoli, Hollandia, id eſt: ſub Gallica auctoritate conſtitutis Statibus liberum relinquit, conſiſcationemque adverſus Gallicanas naves, Americanos ſubituras portus pronuntiabat. Jus & dignitas Galliarum, quæ tractationis argumentum eſſe nequeunt, Repreſſalias popoſcerunt, Sequeſtratio quarumvis Americanarum in Gallis navium, neceſſarium Conſectarium erat adoptatæ a Congreſſu agendi rationis.

Jam de præſenti poſtliminio Congreſſus revertitur. Revocat Decretum de 1. Maji Americani portus rursus Gallicis patent na-

vibus, neque prohibetur amplius Gallia Americanis. — Congressus porro se obligat, adversus eos belligerantes Status se insurrectorum, qui cunctati fuerint agnoscere *Jura Neutralitatis!*

In his adjunctis rerum, potestate instructus sum, Dominationi Vestrae declarandi: Decreta Berolino & Mediolano revocata esse, eaque ex Calendis Novembris vi omni destitui, eo probe intellecto: secundum hanc declarationem Anglos quoque suam Cabinetii legem revocaturos, novoque obsidionis systemati, quod erigendi consilium habent, nuncium missuros; aut Status Foederati in conformitate communicati a se Decreti suis Juribus, æstimationem ex parte Anglorum procurando pares futuros.

Singulari cum voluptate sit, Domine! quod decretum Imperatoris, Domini mei, promulgem — Sua Maj. Americanos diligit. Eorum fortunæ & Commercio partem politicorum ejus consiliorum efficit. Independentia Americæ princeps prætensio gloriæ Galliarum nititur. Ex hoc articulo volupe fuit Imperatori Status amplificare, & quibusvis sub adjunctis omnia, quæ ad Americæ Independentiam quoquomodo conferre poterit, ad rationem status sui pertinere arbitrabitur.

Verum seu consecrarium hujus veniæ importandis meroibus sequens exactio Decreto de 5. h. defixa est. — Centenarius Metricus (200 & aliquot libræ) gospitalii Brasili-

ensis ex Cajenna, Surinam, Damerari, & Georgia 800 Fr. gosiopium Levantinum quod a mari venit, 600, & quod curru Coloniam, Confluentiam, Moguntiam & Angetoratum importatur, 700 Fr.; gosiopium ab exteris aliis regnis exceptis Neapolitano, pro quo vetus vectigal dependendum, 600 Fr. Saccharum Crudum 300; Saccharum in chartaceo involuero 400, Coffea 400, Hyswin 900, herba Thea viridis 600, alia levioris ponderis 150 Fr. Indicum 900, Cacao 1000, Cochenilla 2000, album piper 600, nigrum piper 400, Cinamomum. 1400, subtilioris sortis 2000, Cariophila 600, nuces Moschati 2000, ligna: Fernambuc, Acajen, Campechiae 120, 50, 80, tinctorium commolitum 100 Francos.

En momentosam adhuc novitatem! Die 21 Julii Parliamentaris navis Morlacum adpulit. Attulit illa pro Gallico regimine a D. Makensie, qui negotia permutationis Captivorum Parisiis procurat litteras; complures permutati Gallici Officiales ea occasione advenerunt. Cum ex tempore adventus hujus nulli adparatus pro discessu D. Makensie animadvertantur, id pro bono habetur indicio atque felici secundoque tractationum progressu.

B I O G R A P H I A.

Washington (Goorgius) Generalis, & Praeses olim Generalis in America Congressus. Majores ejus originem ex Anglia ducere, unde tempore revolutionis excellere & sedes

in Virginia fixere. — In hac provincia pater Georgii vir erat magnæ auctoritatis & ampliorum possessor tenentium, in qua is tertius patris ex secundo matrimonio filius die 22. Febr. 1733. primam lucem aspexit. — Educatus in patria domo, soli ferme linguæ latinæ discendæ, Historiæ & Mathesi vacabat, hac ille potissimum delectabatur, quæ auctoritatis plenior quam redituum in America munus Geometriæ, & in provinciali militia stationem Præfecti Vigil. & Gen. Adjutoris adeptus est. In hac illa dignitate 20. jam ætatis anno 1753 ex Virginia ad flumen Ohio missus cum mandato: Gallico ibi imperium militare tenenti officiali S. Pierre in argumento ab ejus subditis exercitarum hostilitatum propositiones faciendi, una ibi degentes ita dictas 6 nationes Americanorum ad ulteriorem irrefragabilem cum Angliâ amicitiam permovendam; quo ille mandato tanta cum dexteritate functus, ardua licet & salebra pleno, cum ea solertia & fortuna ut in Virginiam reduci publicæ a provincia gratiæ actæ sint. — Ephemeris hujus sui itineris & tractationum, quæ tipis excussa, argumentum præbet: in juvenili ætate eum scientiis, judicio, prudentiâ agendarum rerum, perspicaciâ & consilio excelluisse. Paullopost eum in America ante belli Galliam inter & Angliam eruptionem diversæ hostilitates occipere, Provincia Virginia legionem provincialis militiæ erexit ex 400 viris, cui Washington præfuit — hac ille mi-

litia in Martio 1754 validam Cohortem Gal-
 lorum & Indorum ad Redstone cædens, di-
 versis aliis occasionibus militarem virtutem
 ingeniumque probavit suum. — 1759 impe-
 rio militari decessit, patriæ suæ in politica
 sphaera serviturus; Electus Deputatus ad Co-
 mitia, ut olim in campo Martio, sic toga
 nunc in Senatorio excelluit & eminuit mu-
 nere. Eodem anno juvenem sibi viduam
 desponsavit, quæ præter largi redditus in Vir-
 ginia vidualitium, 20000 libras Sterl. opes
 ei attulit. Erumpentibus novissimis altercatio-
 nibus Angliam inter & Colonias 4 Deputatos
 inter electus, quos prov. Virginia ad Gene-
 ralem Congressum Philadelphiam expedit; cumque
 contentiones in apertum bellum erum-
 perent exercitusque Americanorum jam col-
 lectus Duce opus haberet, is eorum Colonel-
 lus & Congressus membrum, ab hoc Collegio
 die 14. Julii 1775 unanimi voto Supremus
 Generalis omnium Copiarum terrestrium A-
 mericarum Dux creatus & denominatus est.
 Mense Julio in Castra Americani exercitus ad-
 venit ad Cambridge in Nova Anglia, quid
 in hoc munere egerit, virtutem quantam mi-
 litis dotesque ducis, personalem formidinem
 animique constantiam rebus in maxime ar-
 duis & adversis, insignem cum Congressu
 agendi prudentiam erga & hostiles Copias earumque
 duces, cum Gallicis subsidiariis legio-
 nibus, adhibuerit — hæc & alia Volumen &
 Biographum specialem deprecant, ut pro di-
 gnitate sua declarari possint. — Videantur

inter reliqua editæ Lipsiæ 1796 *Epistolæ & relationes*, quas Washington durante bello toto ad Congressum expediverat, Terminato bello, & stabilita Coloniarum Americ. Anglicanarum libertate atque Independentia Congressus Anno 1783 copias suas dimisit; Washington privatam vitam repetiit — 1789 Congressus denuo secundum novam Constitutionem coaluit, & Washington primus ejus Præses denominatus est; Anno 1797 hoc munere se abdicavit & in otio vixit, in quo 14 Decemb. 1799 in prædio suo Mount Vernon post brevem morbum 24 circiter horas, ætatis aëno 67 supremum obiit. —

Nullus in Historia heros politicam suam scenam tam diu & tam secundo cum effectu transiit quam Washington. Nec acumine ingenii, nec velocitate mentis licet excelleret, tanto majore pollebat judicio & meditandi facultate, indefessæ erat solertiæ, supra fidem attentus, ad rigorem usque justus, gemanus suorum subditorum pater, fidus & nobilis animi amicus, in privata vita inculpati characteris, Philosophus practicus; erat ex opulentissimis Oeconomis Americæ, præterea studiosissimus agricola, quod tempus rei militari & politicæ subtrahere potuit, ei impendit — prædia sua exempla erant perfectæ Oeconomiz. Ex uxore nullos liberos genuit, privignam solum ei attulit. Ultimæ voluntatis Tabulis definiit: libertatem servorum suorum, scholam publicam pauperum cum 4000 Dol. dotatam; Institutum altiorum scient. seu Universitatem in Districtu Columbia, meditullio utpote republicæ cum dote 3000 Lib. voluit cum privatis absque pompa & oratione funebri sepelli, ast ad sepulturam ejus ex distantia multorum miliarium curati testes virtutis advolarunt. —